



**Trascrizione:**

**Notum sit omnibus hominibus qualiter Raimundus Barchinonensis atque Provincie comes et marchio, et domnus Bernardus Atonis, Biterrensis vicecomes venerunt ad concordiam de guerra et de querimoniis quas inter se habebant.** Et vicecomes recognovit ei et fidelitatem et hominiam et sacramentum quod fecerat ei sicut in scripto illius continetur. Et ipse comes recognovit ei securitatem et sacramentum quod ei fecerat sicut in scriptura ipsius habetur. Iterum autem ipse vicecomes accepit per prefatum comitem ad feuvum Carchassonam et totum Carchassensem et haberet eam ad servitium et fidelitatem eius. Et si Ellefonsus, comes, super hoc conquestus fuerit, predictus comes stet ei ad iusticiam per ipsum vicecomitem, ita tamen ut ipse Ellefonsus stet ipsi comiti ad iusticiam de eadem re. Castrum vero Redes et comitatum Redensem, si comes impetrare potuerit a rege Aragonensi vel rex sine filio mortuus fuerit, accipiat ea et habeat vicecomes per manum comitis eo modo quem diximus de Carchassona. Interim vero habeat sex castra vicecomes per ipsum comitem sicut in primis eorum scriptis continetur. Convenit etiam vicecomes prephato comiti adiutorium contra omnes homines, excepto Ellefonso et archiepiscopo Narbonensi et Aimericho et Bernardo de Andusia et suis hominibus qui ipsi comiti ad iusticiam stare noluerint. Et non faciat ei guerram pro aliquo homine cui comes ad iusticiam stare voluerit. Et hec omnia se tenere et observare vicecomes firmat prephato comiti sacramento proprie manus et suorum filiorum et uxoris et XX baronum suorum.

Iuro ego Bernardus Atonis filius Ermengardis tibi Raimundo Berengarii Barchononensi et Provincie comiti, quod ab hac ora in antea tenebo et attendam tibi suprascriptas convenientias per fidem sine engan. Sic Deus me adiuvet et hec Sancta Evangelia.

**Traduzione parziale:**

**Tutti voi dovete sapere che Ramon Berenguer, conte di Barcellona e marchese di Provenza, e Bernat Ató, visconte di Béziers, raggiunsero un accordo sulla guerra e sulle liti tra di loro [...]**